This Volume contains

(a)

De Rachitide — Joan. Watson Sproule

De Leucorhoea — Joan. Simson

De Febre remitt. Maniaca — Dan. Moore

De Ista Hernicae Ulcerosae Specie quae vulgo Retrovertio Uteri dicitur — Thom. Gille

De Aborsu — Joan. Greg. Munro

Experimentorum quorundam cum diversis aërum speciebus in Animalibus institutorum Phenomena exhibens — Jul. Maxwell

De Hepatitide — Rob. M'Causland

De Actione Musculari — Jacob. M'Intosh

De Scitero — Nicholas James

De Hemorrhagiis — Joan. Taylor

1184 b 13

1 — 9

1104.b.3

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RACHITIDE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES WATSON-SPROULE,

HIBERNUS.

Soc. Chem. Edin.

Nec non,

American. Phyſic. Sodalis.

Ad diem 25. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

93.
b. 10.
334.

Ornato admodum viro

GEORGIO NEWENHAM, Jun.

In agro Corcagienſi,

ARMIGERO,

Soc. Chem. Edin. Soc. Honorario;

Nec non,

Dilectiſſimo patri

GULIELMO SPROULE,

DE ATHLONE,

ARMIGERO;

S. P. D.

JOANNES WATSON-SPROULE.

Conficienti mihi hodie, vir ornatiſſime, ſtudiorum medicorum curriculum, hoc imprimis feliciter contigit, ut quam almae hujuſce Academiae leges occaſionem porrigunt, eam lubenter arripiam amicos amicitiae tuae, debitoſque haud ingrati animi ſenſus, palam profitendi. Neque me tibi hic amantiſſimum Patrem adjungere pigeat; qui etenim paterna meuſque benevolentia proſecutus es, proximum quoque in pectore locum tuo quaſi jure vindicas et obtinebis; quot autem quantaque vobis debeam, non ex naturae magis imperio, quam ex grata beneficiorum recordatione, nullum unquam vitae tempus ratione redarguet immemorem.

VALETE.

Datum Edinburgi, die 8vo ante Kal. Julii, A. D. 1787.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RACHITIDE.

ANNO 1650, Gliſſonius in lucem edidit diſſertationem de Rachitide (Anglice *Rickets*) quod quidem nomen morbo tunc temporis per totam fere Britanniam vulgatiſſimo indidit. Ægris illo laborantibus ſedulo aſſedit, plurimaque eorum qui fato occubuere corpora cultro anatomico rimatus eſt. Ex eorum quoque relatione qui ſecum hujuſce morbi detegendae origini adlaboravere, colligere ſe poſſe credidit, illum eſſe novum prorſus et inauditum, atque inter alios qui nuper primo apparuerunt, luem nempe veneream, plicam Polonicam,

ſcorbutum, &c. Rachitidem quoque recenſendam voluit * ; hoc potiſſimum argumento fretus, malum ſcilicet hoc nunquam a veteribus accurate fuiſſe depictum. Hanc Gliſſonii ſententiam quam plurimi temere amplexi ſunt, quos propriis diffiſos viribus in aliorum verba jurare non pudet. Oculatiores vero medici, inter quos Neapolitanus ille Verardi Zevianus eam prorſus repudiarunt; neque quidquam ad rem facit Rachitidem ideo novorum numero morborum adſcribi, quia a paucis retro ſaeculis nonnulli hujuſce generis veteribus incogniti capita extulere, nec majorem habent vim quae Gliſſon aliunde accerſit argumenta; ſiquidem illa ipſa, quibus nituntur, teſtimonia ſic habent: " Nemo hactenus inveniri potuerit, " qui ſciret aut oſtenderet, vel primum nominis " auctorem, vel aegrotum cui primum nomen " morbi accommodatum fuerit, vel locum pecu- " liarem ubi id factum, vel modum etiam quo " inde in vulgus diſperſum fuit " †. Unde patet ex eo ſolummodo hujuſce morbi novitatem colligi, quod omnes omnino ante ipſum medici de eo ſiluiſſent.

Atque

* Quantum ex aliorum relatione, diligenti facto examini colligere potuimus. Gliſſon. de Rach. cap. 1. pag. 3.

† Gliſſon. de Rach. cap. pag. 4.

Atque hic obiter obſervandum, morbos quamplurimos tam varia ſymptomatum cohorte ſtipari, certo fere nunquam ſe ordine prodentium ut aegre admodum ſuos cuique adfectus referamus. Animadvertendum etiam, ſcriptores medicos in deſcribendis infantium morbis mancos admodum et incurioſos extitiſſe, multaque nos hodie latere quae olim in hujuſmodi morbis obtinuerint; quibus autem rite perſpectis, nec tam frequenter occurreret, nec adeo in pejus rueret, hoc malum. Si igitur in veterum operibus praecipua Rachitidis lineamenta deprehendamus, Gliſſonio minime aſſentiendum cenſemus, qui eam novitate inſignire enititur.

Hippocrates Galenuſque infantilem aetatem tabi obnoxiam fuiſſe innuerunt, cujus ille duas diſcriminat ſpecies: unam, ubi ex debiti defectu alimenti marceſcit corpus, alteram, qua laute nutrimenta aſſumuntur. Celſus, ubi de ſpinae inclinatione, eam quoque inter infantium morbos recenſuit *.

* At ubi aetas paulum proceſſit, glandulae, et vertebrarum, quae in ſpina ſunt, aliqua inclinatione, ſtrumae, &c. oriuntur; Celſus lib. 2. cap. 1. lin. 25. pag. 46.

censuit. Nec desunt alii plerique qui propria morbo, de quo agimus, signa haud obscure adumbravêre, quos inter Hieron. Mercuralis, Sennertus, Kuefnerus, &c. et imprimis Hieron. Reusnerus, auctore Zeviano *. Praeterea Boot † (ubi de affectibus omissis) se in Gallia hunc morbum detexisse asserit priusquam Glissonio apud Anglos occurrisset

Cel. Cull. hujusce morbi quam nitidissimam accuratissimamque definitionem tradidit, quam idcirco haud illibenter usurpamus.

DEFI-

* il Reusnero, il quale visse nel secolo antecedente al Glissonio. Parla egli in una sua dissertazione di un male in que' tempi molto familiare nell' Elvezia, e nell' Olanda, il quale era proprio de' fantolini, e li faceva cadere in tanta magrezza, che perduta la carne, appena si potevana sostentare sulle ossa, quantunque il loro appetito si manteneſse vigoroso: che oltre a questo aveano ostruzioni, il costato schiacciato, e le gambe curvate in dentro; Zeviani capo 2. pag. 21.

† Boot. de affectibus omissis, cap. 12.

DEFINITIO.

Caput magnum, anterius maxime tnmens, genicula tumida, coſtae depreſſae; abdomen tumidum, caetera marceſcentia *.

HISTORIA MORBI.

Atque hic in primis ill. ſcriptori jam citato plurima nos debere alacriter profitemur; luculentam etenim numeriſque omnibus abſolutam hujuſce morbi hiſtoriam exaravit, quae argutam in obſervando ſedulitatem, in deſcribendo accuratam elegantiam, arguit.

Pauciſſimi cum Gliſſonio ſentiunt labem hanc infantibus congenitam obſervari; de hoc Cel. Cul. tacet, dum a Boerhavio † et Zeviano ‡ prorſus

* Cullen. Synopſ. nos. meth.

† infantibus ille nunquam connatus; Aph. de cogn. et cur. morb.

‡ Non ſi veduto mai a naſcere veruno bambino conqueſto male; Zeviani della Rach. pag. 1.

prorſus denegatur. Sextum inter nonumque a partu menſem, tenellas plerumque victimas adoritur, rariuſque ſecundo defunctas anno adpetere videre eſt *. Primo ipſius inſultu infans ex alacri amoenitate in moroſam fatiſcit ignaviam; roſeus evolat genarum color; corpus paulatim macreſcit; os frontis immaniter prominet; caput prae reliquo corpore excreſcit, inque humerum reclinare obſervatur. Leviſſimi motus, exercitii leviſſimi impatientes inter deambulandum vacillant, humique procumbunt. Haud mediocrem ingerunt ciborum copiam, nedum deficiat appetitus aut langueſcat †. Alvus plerumque ſolvitur quod inter primaria ſymptomata, refragante Gliſſonio, ‡ cooptavit Zevianus §. Dein oſſa molleſcere, ſpinam tibiaſque incurvari, deprimi coſtas, ideoque thoracem in acumen protrudi. Abdomen praeter ſolitum tumet, et ad tactum tractanti durius reſiſtit: nec raro accedunt

* Cullen et Zeviani.

† Vide Cullen vol. 4. pag. 339. necnon Zevian pag. 2. L'appetito ſi mantien vigoroſo, o creſce piu toſto oltre l'uſato; quam quidem ſententiam auctoritate illuſt. Daubent. Hiſt. Nat. fulcit.

‡ Alvi profluvia fortuita ſunt ſymptomata, pag. 201.

§ Il loro ventre talvolta e ſtitico, ſpeſſo troppo ſcorrevole; Zev. pag. 3.

accedunt epiphyſium tumores, oſſium praeſertim cylindricorum, unde oſſeam deficere materiam minime mirum. Dentes ſolito tardius prorumpunt, proruptae nigreſcunt, facile franguntur, brevique putres reſolvuntur *. Aliud adeſſe adhuc a caeteris omiſſum ſymptoma affirmat Zevianus, violentam nempe ani contractionem vel corrugationem †; an autem praecox adoleſcat ingenium, aut judicium inſolenter matureſcat, inter medicos ambigitur: haec ita ſe habere Cel. Cullenus et Zevianus opinantur; negat autem Buchnerus; tuſſis nonnunquam ingruit, et operoſa expectoratio, comeſque perſaepe adjungitur febris hecticae non abſimilis; pulſus autem celer et debilis: his crudeſcentibus mors accerſitur, quamvis rarius hunc morbum ſubſequatur. Reliqua quae haud pauca ab authoribus annotantur ſymptomata, utpote que Rachitidem minime diſcriminent, recenſere ſupervacaneum ducimus.

CAUSÆ

* Cullen, Zeviani, Rozen von Rozenſtein, diſeaſes of Children tranſlated by Sparman, pag 269.

† Non debbo tralaſciar un altro ſegno molto propio della Rachitide da niuno degli ſcrittori oſſervato. Queſt' e una grandiſſima contrazione e raggrinzamento dell' ano, per cui la pelle ſi fa oltre modo aderente alle vicine oſſa ſacre e coccigge; Zeviani pag. 5.

CAUSÆ REMOTÆ.

Quamvis hic ingenti difficultatum mole obruamur, annuente tamen graviſſimorum ſcriptorum auctoritate, noxas debilitantes huic plerumque morbo anteceſſiſſe non immerito pronunciabimus.

Hae autem cauſae vel a parentibus nutricibuſve proveniunt, vel ab iis denique cauſis quae ipſos proprius puerulos adficiunt. Et primo quidem a parentibus; triſtem namque ſoboli haud raro tradunt Rachitidis haereditatem; infantulorum vero imprimis cunas infeſtat, quorum genitores aut ipſi hac tabe laboravere, aut chronicis aerumnis conflictabantur; atque ex ſagaci ill. Cull. experientia conſtat, labem hanc a matribus ſaepe ſaepius derivari; ab iis vero potiſſimum quae ad ſcrophuloſum habitum procliviores cenſebantur. Secundo a nutricibus; hic nos ulterius progredi vetat imperfectior, earum quae lacti obtingunt, mutationum notitia; nec magis innoteſcit qua ratione infantilem habitum afficiant: neque iis inhaerendum quae Gliſſonius,

nius, Mayow, Floyerus, Zevianus, &c. retulerunt: Quaequidem ſomniaſſe potius, quam obſervaſſe, dixerim. 3tio, De iis, quae ad ipſos proprius infantes pertinent, noxis, non ita manca praeſto eſt certitudo: Hae autem a minori vel majori caloris gradu, vel a potiori aut deteriori ciborum indole, ſcaturiunt; etiamſi huic morbo non parum favere videatur frigidior aëris temperies, attamen ſaevire viſum eſt in regionibus noſtra multo calidioribus, Gallia nempe, Italia, Hiſpania, nec non Auſtralibus Americae plagis, ut apud Boot. Benev. Zevian. Zacut. &c. legere eſt. Huic etiam opportunitatem parit ſubitanea quaelibet temperiei mutatio, a calida praeſertim in frigidam: Monendum item officere quoque adauctum calorem ſive ex nimio ſole, nimiove veſtimentorum pondere infantium corpuſculis circumjecto: Quod quidem haud temere animadvertere Siennenſes Noſocomii St. Mariae medici *. Nec minus ab aëris ſalubritate, quam ab ejuſdem temperie, pendet: Qui enim in aedibus anguſtioribus degunt, ubi immundis aër effluviis inquinatur, liberoque ipſius circuitu impedito, ſtagnando corrumpitur; hos prae caeteris ferocius

* Vide Atti di Sienna, tom. 6. p. 299.

cius infeſtat. A cibo; ex dura ubi paupertate ciborum inſtat penuria, aut ipſorum deteritur indoles, rachitis, aliaeque debilitatis noxae, ſaeva exercent imperia.

Ex lacte aceſcente corpori illato oriundum morbum quidam credidere; levem vero et male ſtabilitam opinionem argumentis Profeſſor ſagaciſſimus Cullen, inſtitutis periculis Joannes Hunter, everterunt. Acida tenuia vir ſolertiſſimus in vaſa ſanguinea injecit, nec ullum inde malum eſt inſecutum; non tamen inficias eamus, quin ex vitiato lacte materno morbus ſit ſaepe oriturus. Plurimos videre eſt cibo ex cereali genere impune utentes. Qui alii corpus debilitant, hi morbi rachitidi anſam praebent; ab ea autumnalem intermittentem exceptam fuiſſe, auctor eſt Sydenhamus. Ex his omnibus fas eſt colligere, quaecunque corpus infirmant, ea omnia morbum inferre.

CAUSA PROXIMA.

Qui rachitidis cauſam proximam quaerit, eum fruſtra tempus terere monet Boerhaavius; quid proprie,

proprie, ait ſcriptor inclytus, hoc ſit quod in corpore facit rachitidem, nemo explicare poteſt. Perpenſis tamen tum ſymptomatis, tum cauſis remotis, medendique ratione, haud temere colligitur in cauſa proxima eſſe materiam nutricem denegatam; et eo credibilior res eſt, quod tali ſententiae ſcriptores eximii annuant. Fatendum tamen, nullam ex opinione iſta rationem reddi cur grandeſcit caput, et glandulae meſentericae indureſcant. Quinetiam ſenſim tument hae partes; an aucta potius ſit abſorptio objurganda, multum ambigitur; his vero objiciendum, exſtare hiſtorias mollitiei oſſium ab abſorptione aucta haud dubie ortae, et turbidam eſſe urinam, et materiem terrenam in cute cerni *. Monent quoque laborantes glandulae meſentericae et corporis totius macies, illatos per vaſa abſorbentia humores non augeri; in obſcuro res ardua verſatur, nec veri quidquid facile ſtatuas.

RATIO

* Vide Phil. Tranſ. Vol. 52. Nec non Lond. Med. Comment.

RATIO SYMPTOMATUM.

Signa generalia.—Languor, motus impatientia, pulſus debilis et frequens, ad debilitatem referendi ſunt quae morbum plerumque antevenit et per totum decurſum adeſt.

Oſſium morbi.—Quod grandeſcat caput explicatu difficillimum. Erroris tamen eam quae apud pleroſque obtinet ſententiam arguerem. Collum caeterumque corpus marceſcunt; hinc forſitan adaugeri caput creditur, et aucta in partibus aliis oſſium mole, caput ſimili malo laboraturum conjicitur; tenui quoque ſolummodo cranium tegitur involucro, nec illius tegumenta ab univerſa macie deteruntur. Profeſſori gravi et eximio Monro, ſolerti medico et in re anatomica pariter et phyſiologica praecellenti, ſolenne eſt ante auditores proferre infantuli caput a rachitide enecati, multa eſt oſſibus ſed aequabilis craſſities; talem ſemper obvenire craſſitiem non ab experientia propria aſſerere auderem; ſi vero ſpecies iſta ſit conſtans, res patet alioquin perobſcura.

Oſſium

Ossium morbi cylindricorum.—Gliſſon et hunc ſecutus Mayow fuſe de hac re diſſeruerunt; non neceſſe videtur hic loci varias, in quas oſſa incurvantur, formas recenſere; in quemlibet etenim ſenſum inclinabunt, prout flexiores ipſorum partes prementium muſculorum niſui facilius obtemperent. Hinc intelligitur cur femora, tibiaeque, quibus totum corporis pondus ſuffulcitur, imprimis incurventur, dum brachia, utpote libera, recta permaneant. Cur autem epiphyſes laxius connectantur, ex eo conjicimus, quod legitima oſſium deficiat materies, et eorundem tumefacta extrema inflammentur.

Spina dorſi incurvata.—Quocunque caput inclinet infantulus et ſuperius corpus incumbat, eo ſpina flectitur ſive dextrorſum vel ſiniſtrorſum, vel antrorſum, deorſum rarius; iſta praecipue forma locum obtinet in longe alia ſpinae laborantis ſpecie cujus tradit hiſtoriam Pott; in morbis vero Pottianis nulla adeſt communis mollities, ulceribus rodentur vertebrarum corpora, et quoniam eorum ope adhaerent vertebrae, incurvatur dorſum pari modo a recto naturae tramite alia deflectunt oſſa, coſtae ſcilicet, ſternum, et nonnunquam in ſaeviori morbo oſſa pelvis.

Tumidum abdomen.—Zeviani de tumente abdomine differentis non omnino mihi arridet ſententia; ‘ Durando pero piu a lungo queſta morbo-
‘ ſa cagione, il chilo, che per la inſolita agrezza
‘ ſi viene a lavorare di una ineguale fluidita, nel
‘ paſſare nei vaſi lattei laſcia indietro i piccoli
‘ grumi, i quali inzeppandoſi nelle glandole del
‘ meſenterio danno origine alle oſtruzioni, e nu-
‘ ova miniera ſi fanno di agrezza al nuovo chi-
‘ lo, che ſopraviene.’ Hoc vero minime conſtat; quis unquam chylum ſolito craſſiorem in hoc morbo detexit? Et quamvis etiam detexerit, ante occupandas glandulas vaſa lymphatica obſtrui neceſſe eſt Quin ſi a denſiori chylo talis accideret obſtructio, eo brevi magnitudinis eſt eventura, ut ne minima quidem humoris guttula tranſiret; indurata et obſtructa vaſa diſſecanti ſeſe offerunt ad indurationis rationem reddendam inflammationem, quantumvis lentam, praeceſſiſſe neceſſe eſt. Haud facile cauſas praediſponentes ſtatuerem probabile, tamen videtur glandulis meſentericis impeditis imperfecte chylum elaborari; hinc ſcilicet inflammatis meſentericis glandulis tumet venter.

Inteſtinorum debilitas alvum ſolutam explicat; ſolvitur praeterea alvus vel ex materie, in inteſtinis acri, in ventriculo acida, praeſente.

Indoles

Indoles maturior non, ſicut exiſtimo, pro morbo habenda, nec, etiam ſi morbus ſit, veri quidquid de re ignota ſtatuendum; nulla igitur de ea verba facio.

PROGNOSIS.

Cum morbum, de quo agimus, raro admodum mors conſequatur, ad eos tantum morbos pertinet prognoſis quos ipſa ſecum trahit rachitis. Plerumque igitur obſervandum, eo gravius hoc urgere malum, quo ab ortu citius infantilem victimam invaſerit, aut imbecillioribus eadem ſtaminibus conſtiterit; nec magis ſperandum, cum plurima ſimul hujuſce morbi ſymptomata in infantuli perniciem conſpiraverint: Si etenim hoc malum diu ineluctabile perduret, et ſpinae abnormis obtineat inclinatio, ad ſeram uſque ſenectutem labes plerumque pertingit. Quando praeter ſolitum grandeſcit caput, non immerito pertimeſcendum, ne glomeratae aquae vis in ipſius ventriculis aut membranas inter confluat; ſi immaniter tumeat abdomen, ob ſuppurationem,

nem, vel glandularum meſentericarum ſchirroſitatem, de aegro actum erit et penitus conclamatum. Si autem pectus nimium acuminetur, adeo affici poſſunt pulmones, ut ſerius ocyus fatum accerſiatur.

METHODUS MEDENDI.

Varia quae varii ſcriptores ſanando huic morbo remedia periclitati ſunt, ſigillatim hic recenſere, operae haudquaquam pretium ducimus; ad rem magis facturi, ſi medicorum, qui de rachitide diſſeruere, auctoritates penſitemus, atque ea potiſſimum ſeligamus remedia, quae ipſorum vota ſaepiſſime ſecundarunt. In quibuſdam enimvero hujuſce morbi ſtadiis, praeſertim provectioribus, quam plurima exſurgunt ſymptomata, quae, tametſi a morbo prorſus aliena, ut phthiſis pulmonalis, hydrocephalus, hydrops, &c. ſummam exigunt ſedulitatem, promptiſſimaque auxilia. Sed nobis praecipua mens eſt ea ſolummodo ſegregare quae oculatae experientiae diuturnitas comprobavit.

Cum

Cum remotae hujuſce morbi cauſae a noxis debilitantibus repetendae ſint, (de proxima autem ferme caligamus) eo potiſſimum cardine verſabitur curatio, ut eaſdem, qua fas eſt, eliminemus: Quod quidem non aliter praeſentius efficiemus, quam

1mo, Univerſae corporis debilitati obluctando:

2do, Locales ſufflaminando adfectus:

3tio, Oſſium praecavendo deformitatem.

Ut igitur praecipuo curationis conſilio pro virili ſatisfaciamus, ad tonica, quibus non ulla efficaciora, hoc in primis morbo, remedia confugiendum cenſemus.

Primas igitur obtinebit ens veneris a Boylaeo noſtro tanquam ſpecificum decantatum: Boylaeum hoc remedium ex ferro praeparari cenſent ill. Cullen * aliique chemiſtae celeberrimi; non ita autem Benevol. Boerhaav. &c. dum a Zevian. et Mayow ſummis effertur laudibus, alii aliter de ipſius operandi modo cenſuere; cum celeberrimo autem Cullen †, inter tonica collocaverim. Neque hic auſcultandus Zevian. cujus hac de re ſententia humorum nimis patholo-

* Vide Cullen, Vol. IV.

† Vide Cullen, Vol. IV.

giam redolet: Illud quippe alcalina quadam proprietate pollere ſomniavit, qua coagulatae lactis moleculae extenuantur et diſſolvuntur, venas arteriaſque permeando, ſtimulo quodam de corpore eliminantur. Illud etiam cum rhabarbaro conſociatum quam feliciſſimos praeſtitiſſe effectus, ejuſdem Zevian. teſtatur experientia. Quam plurima adhuc tonica praedicantur, praecipue autem cortex ille Peruvianus: Hunc impenſe ſuadet De Haën, quamvis Cullen noſtro rarius feliciter ceſſerit.

Frigida lavatio.—Nihil hoc remedio praeſtantius exercitatiſſimo Cullen innotuit; nec tantum balneo frigido jam conſtitum morbum levari, verum etiam inſtantem arceri innuit, tonica ſiquidem virtute languidam fatiſcentemque corporis compagem ſolito robore redintegrat. Frigidam quoque lavationem plurimum collaudat * J. Floyer, animadvertitque rachitidem anno potiſſimum 1603 latius ſaeviiſſe, cum tunc temporis apud Anglos in deſuetudinem abiiſſet. Eandem ceu ſpecificam, † D. Edward Baynard, tanquam medelam certiſſimam concelebat Ma-

yow

* Floyer, p. 77.

† Baynard apud Floyer, 335.

yow*. 'Et quidem (inquit) obſervatione frequen-
'ti expertus ſum, quod ad abdominis intumeſ-
'centiam, quae in morbo hoc valde inſignis eſſe
'ſolet, tollendam thermarum praedictarum uſus
'maxime conducat.' His vero laudibus mini-
me accipit Zevian. ſed ex ratiocinandi prurigine
potius quam experientiae teſtimonio oblatrat.

Exercitatio et aër.—Ea eſt oſſium infantilium tenera fragiliſque compages, ut leviſſimam exercitationem aegre patiantur. Non mediocri autem huic morbo levamen afferetur, ſi nutricium quandoque ulnis aſportentur, vel rheda vectentur nonnunquam; leni ſic etenim motu, ipſis interim quieſcentibus, pueruli jactitantur, nec ipſis minus profuerit ſalubriori ſemper aura refocillari: Hinc intelligimus cur, in febre hectica, tam ſalutares ediderit effectus aegrotos funiculis appenſos alterno librari motu, neque eos cum D. Carmich. Smith † ſedanti motus potentiae debitos referemus, quin majore pulmonibus ſalutiferi aëris influxui potius tribuendi ſunt.

Fric-

* Mayow, 116.

† Vide D. C. Smith's pamphlet on the Effects of Swinging.

Frictiones a pleriſque etiam ſcriptoribus praecipiuntur, nec immerito: Moderato caloris gra- infans foveatur, neque juſto nimium, minuſve veſtiatur.

Auctoribus Gliſſon * et Mayow †, emetica nonnunquam propinanda; haec autem incuſat Zevian. ‡ quippe quorum acrior vis eſt quam quae ſenſiliori infantulorum ventriculo conveniat: Hic tamen ill. Cullen prorſus aſſentimus, qui emetica ea mente exhibet ut canalem alimentarium ſuccutiendo obſtructa abdominis viſcera expediat ‖. Eodem ferme conſilio mitia putat adhibenda cathartica, quibus leniter inteſtina ſtimulentur, noviſque corroborentur viribus: Ab iis vero abſtinendum, ſi forte morbo (cui non admodum inſolenter) alvi profluvies acceſſerit comes. Cum emetica omittantur, lenis inſtituatur purgatio, et per intervalla iteretur, monet Mayow; immenſam dein medicamentorum explicat farraginem, quae inter eminent Rhabarbarum tartarique cremor; calomel. nonnunquam uſus eſt.

Ab

* Gliſſon, p. 344.

† Mayow, p. 131.

‡ Zeviani della Rach. p. 98.

‖ Cullen, Vol. IV.

Ab his raro admodum Zevian.* abhorret. Inter reliqua, quae adhibentur auxilia a De Haën, *teſtacea* non omittuntur; nec defuere qui ſanguinis detractionem ſuaſerint; haec autem, ut ſperamus, curatio jamjudum obſolevit.

Id genus alimentorum caeteris anteponendum cenſemus, quod facili digeſtione ſubigitur; neque lac curationi officere obſervavit Cullen; nec eſt, cur tantopere farinacea criminemur, ſi modo ita propinentur, ut faſtidioſo infantium guſtui minus ſordeſcant: An autem iſtiuſmodi indolis cibi reperiendi ſint, qui oſſeae materiei ſecernendae prae caeteris inſerviat, adhuc videtur in obſcuro deliteſcere.

Applicationes locales.—Varii varias excogitarunt medici machinas, quibus incurvandis oſſibus praecaveretur, aut jam incurvata reſtituerentur: A cel. Monro nonnullae praedicantur, quae medicantium vota imprimis obſecundant. In Act. Acad. Chir. Pariſ. a doc. Vaſcher machina quaedam adumbratur, et nobis aptiſſima videtur quae ſpinae inclinationi apprime obſtet, nec iniquo interim pondere infantulum obruat.

* Zeviani, p. 100.

FINIS.